

Bibliothèque numérique

medic@

**Cornuty, Georges - candidat. - An
nique facultati sua sedes ?**

1581.

[Paris]

Cote : ms 72 n°165

An cuique facultati sua sedes?

ACTIONVM omnium causa, & opifex anima, per vniuersum corpus diffusa, tribus maxime se prodit facultatibus. Quae & si omnes conspirant in communem hominis vitam, mutuaque occidunt syntimoria: nihilo tamen minus vt organis, & operibus: sic sedibus distinguuntur. Earum etenim prima, naturalis, animati omnibus communis, sita est in iecore, ortu, & usu primo, nec potius minus ad vitam quam cor, & cerebrum necessario. A quo per venas facultatis sanguifica, non coëctrici expertes, cum sanguine quatuor humores complexo, ab eodemque calore, cum ceteris humoribus in hepate genito, & spiritu in partes non consimiles solum (quarum ortus à solo semine non est) sed in singulas ad vim nutricem, iisdem insitam, in sanu nunquam otiosam, suscitandam promanaret.

Rocreati sibi simili, facultatem natura perpetuitatis auida, perfectis animantibus, cum sexus discrimine ab initio contulit: qua primos ab vno iecore, sede concupiscentia, trahens igniculos, semen vtrique commune prolificum, nec ab elementis existens, ex prolecto sanguine in solis testibus ad vitam non necessariu, elaborando conficit, fieriūque ex eodem in vterum coniecto, non sine menstruo sanguine, cuius tamen suppressio spem proli non adimit, producit: qui non similitudinem modo parentum, sed etiam morbos cum moribus referat.

Baltrice, quae sola in fetu subsistit, vitalis distinguitur, quae etiam in peste, cui assuescere licet, primò afficitur. Hac in corde post hepar genito, viscerum omnium calidissimo, omnisque abscessus & solutio impatiens, sedem habet: a quo per arterias etiam sanguinem continentes, simulque micantes, cum spiritu & calore ab elementis orto, in totum corpus insunt: quod sic ad agendum impellit, suscitato calore, qui in humido partium delitescit, vt eius appulsu si pari quepiam defraudetur, non secus quam vitali virtute collabente, cetera corrumpunt, syderetur.

Eruidus cordis calor, sola morte extinguendus, vt alimentu fouetur, sic duplici praesidio temperatur, pulsu & respiratione: quae non motu, & usu, sed organu & facultate differunt. Pulsus naturalis, perpetuus cordi & arteriis proprius. Respiratio tota, animalis, voluntaria, nec sine musculorum ope perficitur. Motus vtrobius duplex, gemina quiete distinctus. Hoc quidem, attracto aëre natium calorem refrigerat, eodemque celerius, quam sanguinis vapore, fouet: illo densam fuliginem expellit. Vtroque denique motu calidum innatum retinet.

Cerebro postremum genito, duris vndique ossibus, & firmis menyngibus, tanquam summa mentis arce circum-uallato, omnis animalis facultas cum proficiatur, perperam per sua sum non est: illud licet temperamento frigidum humidum, & sensus expers, omnis motus, & sensus esse originem. Vtriusque enim sentiendi & mouendi vis, quarum alteram altera manente extingui plerumque contingit, per nervos elaboratiore spiritu, velut aethero ab eo demissa, omnibus partibus communicatur. Sed motus actio quadam. Sensus externus sit patiente sensorio. Sensus vero principu substantiam, non ventriculos cerebri occupanti, vna vis non est, quae rerum simulachra, & sensuum externorum vestigia, discernit, interno scit, iudicat, & recondit.

Ergo cuique facultati sua sedes.

Ponebat Georgius Cornutus Lugdunensis, 1581.

DOMINI DOCTORES DISPUTAVRI.

M. Egidius Heron.

M. Ioannes Beauchefne.

M. Ioannes Riollant.

M. Ioannes Haulsin.

M. Sulpicius Rigault.

M. Ioannes le Pelcheur.

M. Marcus Myron, primus Medicus Regius.

M. Simon Seguin.

M. Ioannes Stellatus.